

minatus institui juberet novam informationem in Curia Romana, & si desint testes, Dominum Nuntium posse delegare Ordinario eos articulos super quibus informatio Patris fieri non poterit; Procurator Regius habitum eorum notitia, Parlamento Regio exposuit, quod juxta primum articulum Comitiorum Blesensium, informationes super vita, moribus ac doctrina Nominatorum à Rege ad Prælatum fieri debent per Episcopos Diocesanos Galliarum; quod tamen eo non obstante, Nuntii Apostolici eas sibi consueque attribuerint, ut Bullæ aliæque provisiones Romæ non expediantur, nisi informationes per Nuntium sint factæ. Quandoquidem verò, agebat Procurator Regius, dictæ informationes unice fiant, ut securius ac maturius in Nominacionibus, quæ ad Regem pertinent, procedatur; neque Romam mittantur, nisi ut Pontifici ostendatur, Nominatum esse instructum qualitatibus à Sacris Canonibus & in Concordato requisitis; & per consequens Nominatum recusari non posse, justum apparet, ut Decreta & Ordinationes Regiæ per solos Regios Commisarios executioni mandentur. Addebat insuper Procurator Regius, quod per jura ac libertates Ecclesiæ Gallicanæ, Nuntii Apostolici in Gallia residentes nullam jurisdictionem exercere possint. Hisce alijsq; per Regium Procuratorem expositis, Parlamentum Regium edixit, ut informationes super ætate, vita, moribus & conversatione Catholica Nominatorum à Rege ad Episcopos aliasq; Prælatos & beneficia, posthac fiant per Episcopos Diocesanos illius loci in quo Nominatus ultimis quinque annis residerit, conformiter ad articulum primum Comitiorum Blesensium. Inhibitione insuper facta Nominatis, utendi alijs informationibus quam per prædictos Episcopos factis, sub pœna excidendi jure per nominationem acquisito. Præterea inhibuit fuit omnibus Regnicolis, depositiones facere, aut testimonia reddere in ordine ad has informationes, quam coram prædictis Episcopis; atque omnibus Banquariis & Expeditionariis alias informationes Romam mittere, sub pœna privationis suorum officiorum, quodque punientur tamquam pacis publicæ perturbatores. Mandatumque fuit, ut præfens Decretum ubique publicaretur. Vide Carolum Fevretium *Lib. 3. cap. 4. num. 11.* & latius Tractatum Gallicam De informatione Nominatorum ad Episcopatus.

XIII. Unde praxis hodierna Galliarum habet, uti asserit D. Fleury in Institutionibus Juris Canonici *part. 1. cap. 10.* quod Nominatus curet informationem de vita & moribus suis fieri per Episcopum suæ ultimæ residentia.

XIV. Quia Reges aliique, quibus aut nominatio aut electio Episcoporum incumbit, merito per se vel ministros suos aliove quos ad id convenientiores judicaverint, de vita ac moribus Promovendi informationes sumant, nemini dubium esse potest. Cum verò Romanus Pontifex, juxta modernam disciplinam, in danda Confirmatione & provisione ad Episcopatus successerit Metropolitanus, merito & ipse inquirat ac informationes de vita ac moribus cæterisque Nominati aut Electi qualitatibus per se aut alios capit; formamque informationis capiendæ præscribit, quam ad assequendam convenientem notitiam de capacitate Nominati aptiorem credit.

Et sanè forma tam à Gregorio XIV. in citata Bulla, quam Urbano VIII. præscripta, si serio atque exactè in capiendis informationibus servaretur, spes esset, instructionem super qualitatibus Promovendorum sufficientem acceptam iri.

XV. In primis circa personas, quibus inquisitio sive informatio committitur, inter alia decernitur; ut si aliquis ex Prælatibus, ad quem in ordine supradicto spectat processum conficere, consanguinitate vel affinitate usq; ad tertium gradum inclusivè Promovendum contingat, ille excludatur ab hoc munere, quod eo casu deferatur ad illum, qui proximè sequitur, servato eodem ordine & gradu.

XVI. Adhæc Prælati in Bulla designati, non per suos Vicarios, Auditores vel alios Ministros, sed

per seipsos inquirendi munus, ait Gregorius XIV. exercere debent; quamvis ab hujusmodi personis, aliisque viris peritis juvari possint. Rationem hujus præmisserat: "Quia Sacrum Concilium Tridentinum, non sine magna ratione eminentes personas, & quæ negotii magnitudinem probè intelligerent, ad hoc officium nominavit."

XVII. "Ad hoc autem, ut mens ejusdem Sacri Concilii (pergit Gregorius XIV.) rectè ac feliciter debeat executioni mandetur, & tale sit examen, quale requiritur in negotio tanti ponderis, declaramus ac statuimus, non esse in vita ac doctrina Promovendi investiganda, eam rationem adhibendam, ut ab ipso Promovendo articuli offerantur, ac testes producantur, sed oportet ut Prælati, qui munus inquirendi suscipiunt, titulos conscribat, atque ipse ex officio suos illos testes vocet atque examinet, quos de rebus inquirendis sincerum ac fidele testimonium daturus esse existimet. Verum, ut inquisitio prædicta facilius ac plenius perfici atque expediri queat, utile erit si Prælati, qui inquisitionem facturus est, vel à Promovendo, vel ab aliquo alio confici curet scedulam, in qua sint ordine descripta, nomen Promovendi, cognomen, patria, parentes, ætas, ordo, gradus, professio, functio, si quam is forte exercuit, loca in quibus aut Theologia vel Juri Canonico operam dederit, aut longo tempore versatus fuerit, denique amici ac familiares, qui tam ipsum quam parentes ejus intimè norint. Quod si Promovendus documentum aliquod exhibere voluerit, unde ipsius ætas, gradus, dignitas, sacri Ordines, functio, officia, munera, que, aut aliquid ejusmodi comprobetur, admittendum, ac processui inferendum erit, modò documentum publicum seu authenticum fuerit."

Eadem habet instructio Urbani VIII. quæ insuper addit: "Ipse (Prælati inquirens) ex officio suo sacro vocari, cari mandet, & secreto examinet, ipsemet recipiat in manibus suis singulorum testium juramentum."

XVIII. Nec quoscumque in testes adhibendos esse voluere Pontifices, sed "Testes sint Viri graves, pii, prudentes, docti, & qui de qualitatibus Promovendorum, rectum judicium ferre valeant, sincerumque ac fidele testimonium verisimiliter sint daturi; præsertim verò hujusmodi qualitates esse debent in testibus, qui interrogandi erunt de fide Catholica, vita, moribus, doctrina, & aptitudine Promovendi ad legendam Ecclesiam."

XIX. Deinde rationem, quæ testes hujusmodi dotibus instructos assumendos suadet, hanc apprimè notandam subjicit: "Scire enim debent ipsi testes quæ requirantur in eo, qui rectorus est Ecclesiam Cathedralis, ad hoc ut sit idoneus ad alios docendum, aptus ad illam gubernandam, & dignus qui ad eam promoveatur."

XX. Pergit deinde: "Non sunt recipiendi in testes cognati vel nimium familiares, aut inimici sive amuli personæ promovendæ. In investigandis testium qualitatibus adhibenda est diligentia per Prælatus inquirentem, ut cognoscere possit quam sint erga Promovendum affecti, exindeque conjicere, utrum ex affectu, an ex veritate testimonium dicant. Si aliquando Prælati inquirenti ita expedire videbitur, testibus ad memoriam reducere vim juramenti & gravitatem perjurii, ad monebitque ipsos reos futuros apud Deum eorum omnium, quorum vel committendo, vel omittendo rei erunt, qui promoventur, si vel falsa narando, vel reticendo veritatem causaverint, ut homines indigni vel minus idonei Ecclesiis præficiantur."

XXI. Hæc ad verbum desumpta sunt ex Instrukcione jussu Urbani VIII. emanata, quæ præter hæc exhibet quoque interrogatoria, quæ necessaria sunt ad inquirendum in omnibus qualitatibus in Promovendis requisitis, quæ plerumque circa vitam, mores, fidem Catholicam & doctrinam ipsius Promovendi versantur; sed præ reliquis notandus hic

hic articularis: "An sciat eum aliquo gradu in Jure Canonico, vel in Sacra Theologia insignitum esse, quibus in locis, quanto tempore, & quo fructu ipsi Theologia, vel Juri Canonico operam dederit, & an verè ea doctrinam polleat, quæ in Episcopo requiritur, ad hoc, ut possit alios docere, & quæ sit causa scientiæ."

Ex hoc articulo non obscure colligitur, Pontificem haud credidisse, eos omnes sufficienti doctrina pro Episcopatu esse instructos, qui gradu Doctoratus aut Licentiæ in Theologia vel Jure Canonico sunt insigniti; quod aperte expressit Gregorius XIV. Cum enim renovavit Decretum Concilii Tridentini, in Promovendis ad Ecclesias Cathedralis dictum gradum Academicum, aut eorum publicam alicujus Academiæ testimonium requirere, subjungit: "Tamen quia circa doctrinam plures fraudes committi solent, & sæpe contingit ut nonnulli scientiæ vacui, de solo Doctoris titulo, aut privilegio gloriorentur, volumus, ut de eorum etiam doctrina diligenter inquiretur, qui vel Doctoratus vel Licentiæ titulis, & privilegiis gaudent, vel etiam à publicis Academiis testimonium habuerint, quod idonei essent ad alios docendos; nisi forte aliquorum inignis doctrina ex publica ipsorum functione notoria esset."

Quam hæc cautio etiam hodie omnino sit necessaria, nemo non agnoscat, qui expendit, quam leviter & quanta facilitate hi gradus nonnumquam concedantur. Ex his breviter ac in compendio relatis non difficile quoque judicare quisque poterit, quam exacta notitia Promovendorum ad Prælatum sperari possit, si serio & exactè juxta mentem Concilii Tridentini & Pontificum, qui has inquirendi formulas præscripsere, informatio & inquisitio fieret. Bulla Gregorii XIV. extat in Bullario Romano tomo 2. pag. 705. editi anni 1655. Instructio Urbani VIII. habetur apud Barbosa *Lib. 1. juris Eccles. c. 8.*

## CAPUT IV.

## Quo ritu expediatur Confirmatio.

1. Quomodo Confirmatio à consecratione vix separata fuit.
2. Ex stylo Decretalium Electus ante consecrationem, tametsi Confirmatus non dicitur simpliciter Episcopus, sed Electus.
3. Quæ forma Confirmationis observaretur, cum electio esset penes populum & Clerum?
4. Quomodo peteret confirmatio Nominati à Principe?
5. Quomodo Capitula Cathedralia Electum Metropolitanum præsentarent, & quomodo hic confirmaret?
6. Ex Decreto Tridentini processus inquisitionis mitti debet ad Pontificem, à quo Confirmatio habenda est.
7. Moderatio dicti Decreti juxta styllum hodiernum.
8. Prælati qui inquisitum suum de testibus & persona promovendæ transmittere debet.
9. Totus inquisitionis processus à Cardinale Relatore cum tribus aliis accuratè examinari debet; & in duobus successivis Consistoriis relatio fieri.
10. Quis hodie soleat esse Relator; & qui alii tres Cardinalibus in primo Consistorio sit nuda propositio vocatur; præcognitio in secundo sit rotalis relatio; atque ex suffragiis Cardinalium Nominatum Pontifex sub certa forma Episcopum pronuntiat.

**R**istina disciplina, quæ facile per decem sæcula inconcussa permansit, Confirmationem Episcoporum ab eorum consecratione vix separavit, sed Episcopus Electus à Metropolitanis & Comprovincialibus examinatus, uno eodemque quasi actu & tempore consecratur, & confirmatur; sive potius ordinando confirmabatur; neque ante ordinationem Prælati aut Episcopus dicebatur, nisi ad summum eum addito, *Electus.*

II. Quoniam ex stylo Decretalium, uti observat cum aliis Fagnanus ad *Cap. EAM TE De Rescriptis*, ante consecrationem non dicitur, Episcopus simpliciter, sed *Electus.* Et merito, ait, quia electio & consecratio unum faciunt Episcopum. Quod locum habet non modo in Canonice Electis & Confirmatis, sed etiam in illis, quos *Papa* pronuntiat *Episcopos*; quia ante consecrationem vocantur *Electi.* Nec Electus in Papam ante benedictionem, coronationem & consecrationem ex stylo intitulatur *Pontifex*; nec scribitur *Pontificatum in data.*

Hæc sunt, inquit Ludovicus Thomassinus *De Disciplina Ecclesie parte 4. lib. 2. c. 50. n. 8.* restantes reliquæ primitivæ disciplinæ, quæ Confirmationem à consecratione non distinguebat; imo vix apud Veteres ante decimum aut undecimum sæculum *confirmationis* Episcoporum, sed electionis, consecrationis, & ordinationis dumtaxat mentio fit.

Juxta disciplinam ergo primitivam, quæ per decem & amplius sæcula duravit, Confirmatio hæc ferè formâ peragebatur.

III. Quam primum electio à Clero populoque facta erat Decretum electionis, Eligentium subscriptionibus roboratum ad Metropolitanum & Episcopos Comprovinciales mittebatur, ut Electus in Episcopum ab ipsis ordinaretur.

Extat in Appendice tomi 8. Conciliorum generalium Decretum Cleri & Plebis Ecclesiæ Laudunensis de electione Hedenufi Episcopi ad Incomarum Metropolitanum Remensem & Episcopos Provincia, ut illum in Episcopum ordinent.

Hic postquam præfati sunt, æquum esse, ut ab omnibus eligatur, cui debet ab omnibus obediri, Metropolitanum interpellantes, dicunt: "Quapropter cum *Decreto nostra electionis* manibus singulorum nostrorum roborato ad Paternitatem vestram accedentes, Hedenufium Ecclesiæ nostræ filium, & in Ecclesia nostra, suffragantibus stipendiorum meritis, ad onus usq; sacerdotale promovendum, vitæ & moribus ac sanctâ conversatione idoneum, approbatum, quem per licentiam vestrâ, favente Christianissimo Imperatore Carolo pari consensu, ac cordi devotione, atq; unanimi voluntate elegimus, per manus vestras, ac cæterorum vestrae Dioceseos Sanctorum Episcoporum, consecrari, nobisque & Ecclesiæ nostræ Doctorem atq; Pontificem institui imploamus, precamur ac petimus."

Extat quoque ibidem sub n. 13. Decretum Cleri Parisiensis de electione Anæ Episcopi ad Metropolitanum Senonensem ejusq; Provinciales Episcopos; & n. 14. Decretum Cleri & Plebis Senonensis de electione Ansegisii Metropolitanis, qui ex alia Provincia petitus est, ad Episcopos Provinciae Senonicæ.

Hæc Decreta; præter alia plura ad disciplinam Ecclesiæ spectantia, ostendunt, eo tempore, factâ electione à Clero & Plebe, electionem fuisse oblatam Metropolitanis, ut ipse illam cum Provincialibus Episcopis examinaret; & Electum in Episcopum ordinaret; si omnia canonicè actè, ipsiq; Electum secundum Canones idoneum reperisset; prout ex actis, quæ in eadem Appendice referuntur, ac supra tit. 13. c. 1. annotavimus, intelligi potest.

IV. Reges quoque nominatum à se ad Episcopatum Metropolitanum in Episcopum ordinandum præsentasse, ex Concilio Toletano 12. *Can. 12.* superius notatum fuit; & probat formâ præsentantii, quæ in sæpius citata Appendice ad rom. 8. Conciliorum generalium exhibetur sub hoc titulo: *Ladiculus Regis ad Metropolitanum ut designatum Episcopum ordinet cum suis Comprovincialibus.*

Verum quidem est, in dictis formulis ac decretis unice peti à Metropolitanis, ut unâ cum Comprovincialibus, Episcopum electum *Ordinet & consecret*; quia, ut jam monuimus, disciplina illius temporis Confirmationem à consecratione seu ordinatione non distinguebat; sed Metropolitanus consecrando probabat & admittebat electio.



lectionem, & Electum Ecclesie Pastorem dabit.

V. Et licet postmodum Confirmatio à consecratione distingui caperit, atque ob raritatem Conciliorum Provincialium ad solum Metropolitanum Confirmatio fuerit devoluta, tamen illa fere juxta pristinam formam petebatur, atque cum causæ cognitione à Metropolitanò expediebatur. Nam Capitulum (ait Barboſa *lib. 1. Juris Ecclesiastici cap. 9. n. 5.*) cui jus eligendi suum Episcopum de Jure communi spectat, eidem Metropolitanò seu alteri Superiori mittebat litteras sigillo suo & singulorum munitas, ac per Canonicos subscriptas, quæ appellabantur Decretum, in quibus Electio facta feriatim narrabatur, & Confirmatio petebatur.

Hodie verò omnium Episcoporum confirmatio ad Romanum Pontificem spectat; eaque hac fere forma expeditur.

VI. Cum inquisitio de persona promovenda (formâ capite precedenti expressâ) perfecta fuerit, ea in instrumentum publicum redacta, inquit Synodus Tridentina *Sess. 24. cap. 1. De reform.* cum toto testimonio ac processione fidei ab eo (Nominato aut Electo ad Episcopatum) factâ, quæ primum ad Sanctissimum Romanum Pontificem omnino transmittatur, ut ipse summus Pontifex plena totius negotii, ac personarum notitiâ habita, pro Gregis Domini commode de illis, si idonei per examen seu per inquisitionem factam reperti fuerint, Ecclesiis possit utilius providere.

VII. Quod hic dicitur de transmissione processus sive inquisitionis ad Rom. Pontificem, intelligi debet juxta stylum hodiernum, si Ecclesie non sint ad nominationem vel præsentationem Imperatoris vel Regis alicujus; quia si sit de hujusmodi nominatione vel præsentatione, Prælatus qui processum confecit, eum transmittet ad Cardinalem illius regni vel provincie protectorem, in qua est Ecclesia providenda pastore.

VIII. Ipse quoque Prælatus qui processum examinis confecit, vel per litteras separatas (juxta Decretum Urbani VIII.) simul tamen cum processu mittendas, vel per subscriptionem hujusmodi processus significantibus quanta fides testibus examinatis, eorumque dictis, & scripturis productis suo judicio habenda sit, simul etiam quid de promovendo ipse sentiat.

IX. Omnes verò inquisitiones, informationes, testimonia ac probationes quæcumque de promovendi qualitatibus, & Ecclesie statu à quibuscumque, etiam in Curia Romana habitæ (ait Synodus Trid. loco citato) per Cardinalem, qui relationem facturus erit in Consistorio, & alios tres Cardinales diligenter examinant, ac relato ipsi, Cardinalis relatoris & trium Cardinalium subscriptione roboratur; in qua ipsi singuli quatuor Cardinales affirmant, se, adhibita accuratâ diligentia, invenisse promovendos qualitatibus à jure, & ab hac sancta Synodo requisitis præditos; ac certo existimare sub periculo salutis æternæ idoneos esse, qui Ecclesie præficiantur: ita ut relatione in uno Consistorio factâ, quò maturius intereà de ipsa inquisitione cognosci possit, in aliud Consistorium judicium differatur; nisi aliud Beatissimi Pontifici videbitur expedire.

X. Cardinalis proponens, ex stylo hodierno, si de Ecclesia spectante ad nominationem Regis agatur, est Cardinalis Protector illius regni. Tres alii Cardinales sunt primus Cardinalis Episcopus, primus Cardinalis Presbyter, & primus Cardinalis Diaconus.

XI. In primo Consistorio fit nuda propositio Nominati ad Ecclesiam vacantem per Cardinalem Proponentem, diciturque; *Proponitur*; resolutione tamen dilatâ in alterum Consistorium; ut intereà Pontifex & Cardinales de persona promovendâ melius se informare queant. In secundo Consistorio idem Cardinalis cursus præsentat Promovendum; ac de omnibus, quæ statum Ecclesie, & qualitates promovendi spectant, Pontificem & Cardinales informat; vocaturque hæc præsentatio *Propositio*. Omnibus

absolutis Pontifex colligit suffragia Cardinalium, & si dicant, nominatum esse confirmandum, Pontifex pronuntiat ipsum Episcopum, per hæc verba: *Auctoritate Dei Omnipotentis Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, & Beatorum Apostolorum Petri & Pauli, ac nostrâ, Ecclesiam N. promovimus, ipsumque illi in Episcopum præficimus, & Pastorem, curam & administrationem ipsius eidem in spiritualibus & temporalibus plenariè committendo.*

Si hæc tam serio atque exactè observarentur in faciendâ informatione super moribus atque conversatione Nominati aut Electi ad Cathedralis Ecclesias, quàm à Concilio & Romanis Pontificibus ordinata sunt, indubie spes esset, quod sat exacta etiam haberetur de promovendis notitiâ.

## CAPUT V.

De effectu Confirmationis; & quæ hodie requirantur, ut plenum effectum sortiatur.

1. *Ante consecrationem Episcopus electus aut nominatus administrationi se ingerere nequit.*
2. *Episcopi immediatè Romano Pontifici subiecti debent, antequam plenitudinem officii accipiant, se eidem præsentare ex Decreto Concilii Lateranensis.*
3. *Ne quidem sub titulo Oeconomii aut Procuratoris possunt administrationem ante Confirmationem suscipere.*
4. *Hec non tantùm in Electo, sed quocumque Nominato locum habent.* (na. emotis.)
5. *Fallit in Electis concorditer, in partibus à Curia Romana.*
6. *Sub remotis etiam Angli, Franci, & Alemanni comprehenduntur.*
7. *Per Confirmationem Electus aut Nominatus verus Pastor Ecclesia constituitur.*
8. *Cur Episcopus Confirmatus ante Consecrationem ex stylo Decretalium non dicatur simpliciter Episcopus, sed Electus?*
9. *Episcopus confirmatus omnia potest exceptis his quæ Ordinis sunt.*
10. *In stylo Decretalium sola Confirmatio expedit hæc operatur; secus ex Constitutione Bonifacii VIII. & stylo hodierno.*
11. *Juxta stylum hodiernum Episcopus confirmatus non potest accipere possessionem nisi litteris expeditis, & Capitulo exhibitis.*
12. *Debent à Rege placitari.*
13. *Ut provisus de Ecclesiis quæ juri Regaliæ sunt subiecta plenum effectum Confirmationis obtineant, Regalia debet esse clausa.*
14. *Ut claudatur, debet provisus præstitisse juramentum Fidelitatis Regi.*
15. *Quæ insuper ad clausuram requiruntur.*
16. *Quædam notanda pro intellectu Regaliæ.*
17. *Quæ Ecclesia in Gallia huic juri sint subiecta?*
18. *Quid in Germania & Belgio obtineat?*

I. Quomodo olim Electus à Clero & populo aut à Rege nominatus nullatenus Pastor aut Episcopus censetur Ecclesie vacantis, priusquam à Metropolitanò & Episcopis provincialibus confirmatus atque in Ecclesie Pastorem & Episcopum ordinatus esse; et nec de jure communi, & hodierno, Electi à Capitulis Cathedralibus, aut Nominati à Regibus se administrationi Ecclesie sive in temporalibus sive spiritualibus quocumque prætextu immiscere possunt ante confirmationem expeditam *Cap. 17. De Elect.* quæ, ut ait ibidem Pontifex, *nemo debet sibi honorem assumere sed qui vocatur à Deo tamquam Aaron.*

II. Et Concilium Lateranense sub Innocentio III. vult, ut qui ad Romanum pertinent immediatè Pontificem, ad percipiendam sui Confirmationem officii, ejus

ejus se conspectui [si commode fieri potest] *personaliter* repræsentent, aut personas transmittant idoneas, per quas diligens inquisitio super electionibus & electis haberi possit *sic demum* per ipsius circumspectionem consilii, sui plenitudinem officii assequantur, cum eis nihil obstitit de Canonicis institutis. *Cap. 44. De Elect.*

III. Cum verò nonnulli hanc Concilii sanctionem illudere volentes, sub titulo Oeconomii aut procuratoris se administrationi Ecclesiarum ante Confirmationem ingererent, Concilium Lugdunense sub Gregorio X. his fraudibus obviare volens, generali constitutione sancivit, ut nullus de cetero administrationem dignitatis, ad quam electus est priusquam celebrata de ipso electio Confirmationis, meturus & economatus vel procuratoris nomine, aut alio de novo quæsito colore: in spiritualibus vel temporalibus, per se vel per aliam, pro parte vel in totum gerere vel recipere, aut illis se immiscere præsumat. Omnes illos, qui secus fecerint, jure si quod eis per electionem quæsitum fuerit, decernentes eo ipso privant. *Cap. 5. De Elect. in VI.*

IV. Nec tantum in electione obtinet hæc Juris decisio, sed & in præsentatione sive nominatione, uti post alios Canonicas tradit Fermosinus ad *Cap. 15. De Elect. q. 2. n. 11.* Nam si persona præsentati, sit, se ingerat ante Confirmationem, revera dicitur *intrusus*, & subiectus panis dicti *Cap. Avaritia.*

V. Nullo ergo titulo, Electi aut Nominati se administrationi Ecclesie viduata ingerere possunt ante Confirmationem; eamque juxta stylum hodiernum in Curia Romana expediendam, nisi tamen *valde remoti* sint, videlicet ultra Italiam constituti: hi si electi fuerint in concordiâ, inquit Concilium Lateranense sub Innocentio III. in *cap. 44.* dispensativè propter necessitates Ecclesiarum, & utilitates in spiritualibus & temporalibus administratione; sic tamen ut de rebus Ecclesiasticis nihil penitus alienent.

VI. In *Cap. 28. De electione* in integra Decretali, inter remotiores hoc Privilegio gaudentes exprimitur Metropolitanis Angliæ, Franciæ & Alemanniæ; hæc assignata ratio: Quia si tanto tempore quousque possit Electus Confirmationem cum Pallio à Sede Apostolica obtinere, Regalia non reciperet, Ecclesia quæ interim administratione careret non modicum incurreret detrimentum. Hic obiter notandum, tempore Innocentii III. auctoritas dictæ Decretalis, in Angliâ, Franciâ & Alemanniâ nota fuisse *Regalia.*

VII. Itaque ex hæcenus dictis constat, Electum aut Nominatum ante Confirmationem non tantum Pastorem aut Episcopum non esse; sed nec administrationi Ecclesie ullatenus se posse regulariter ingerere, aut obtentâ Confirmatione, tamquam verus Pastor & Episcopus Ecclesie vacantis reputari.

Quod non tantum olim, dum Confirmatio à consecratione vix sejuncta erat; verum & hodie, si jus commune Decretalium spectemus, obtinet; ipsaque formula provisionis sive Confirmationis Pontificiæ manifestè exprimit. Dicit enim: *Ecclesiam N. de persona N. providemus, ipsumque illi in Episcopum præficimus, & Pastorem, curam & administrationem eidem in spiritualibus & temporalibus plenariè committendo.*

Verus igitur Pastor & Episcopus per Confirmationem sive provisionem Pontificiam constituitur; omnisque curâ Pastoralis & Episcopalis plenariè ei competit; eamque tamquam Episcopus & Ordinarius Ecclesie Pastor administratione potest, uti uno consensu tradunt Canonistæ.

VIII. Verum quidem est, illum ante consecrationem juxta stylum hodiernum non dici simpliciter *Episcopum* sed cum addito, *Electum*; sed id aliunde non fit, quam quòd ante consecrationem, *charactere* seu Ordinem ipsius Episcopalem nec dum accepit; ideòque nec plenitudinem Sacerdotii habeat; quæ requiritur ut quis simpliciter & absolute *Episcopus* aut *Summus Sacerdos* dicatur.

IX. Hinc concludunt Canonistæ, & communis praxis probat, Episcopum *confirmatum, non consecratum*, posse plenariè jurisdictionem suam exercere; eaque omnia quæ ad curam Pastoralem & Episcopalem pertinent agere, exceptis his dumtaxat, quæ ordinis seu characteris sunt Episcopalis; qualia sunt Ordines Sacros per se conferre; Christum conficere, Sacramentum Confirmationis dare &c.

X. Et quidem si citata provisionis verba, & jus commune Decretalibus Gregorii IX. comprehensum spectemus, sola confirmatio prædictos effectus parit; polletque Electus aut Nominatus mox ab acceptâ confirmationis notitiâ, administrationem & curam Ecclesie sibi commissæ suscipere; a Constitutione Bonifacii VIII. quæ refertur in *Extravagante INJUNCTÆ De Elect. in Communi-bus*, & cui praxis hodierna conformis est, sancitum est, ut Episcopi aliique Prælati superiores quocumque nomine censeantur, qui apud Sedem Apostolicam promoventur, aut confirmationis, consecrationis vel benedictionis munus recipiunt, ad commissas eis Ecclesias absque dictæ Sedis Litteris, hujusmodi eorum promotionem, confirmationem, consecrationem seu benedictionem continentibus accedere, vel bonorum Ecclesiasticorum administrationem accipere non præsumant; nullique eos absque dictarum Litterarum ostensione recipiant aut eis parènt vel intendant. Quòd si forsitan contra præsumptum fuerit, quòd per Episcopos, Prælatos, Abbates, Priores, & alios Monasteriorum regimina exercentes prædicto medio tempore actum fuerit, irritum habeatur: nec quidquam interim eidem Episcopi vel Prælati, Abbates, Priores, vel regimina exercentes, de Ecclesiis vel Monasteriorum proventibus percipiant; eorundem Capitula verò & conventus Ecclesiarum, & Monasteriorum ipsorum, & alii quicumque ipsos absque hujusmodi dictæ Sedis litteris recipientes, vel obediens eidem, tam diu sint à beneficiarum suorum perceptione suspensi, donec super hoc ejusdem Sedis gratiam meruerint obtinere.

XI. Itaque Provisus à Sede Apostolica, non potest possessionem adipisci, uti bene notat Zypæus ad titulum *De causa possess.* nisi Litteris in forma expeditis; quin nec sufficit Litteras in Curia Romana in forma esse expeditas, sed insuper desideratur, ut provisus eas exhibeat & præsentet ipsi Capitulo; neque sufficit per testes earum expeditionem probare.

Ulterius, si consuetudinem ac praxim Belgii spectemus, verissimum est, quòd de praxi Hispaniæ testatur post Garciam & alios citatos, Fermosinus ad *Cap. 15. De Elect. q. 3.* scilicet, Provisum non posse administrare, nisi naturalem & actualem possessionem acciperit.

XII. Quin & illud Belgii nostri praxi planè consonat, quòd de Hispaniâ, ex Garcia ac aliis testatur Fermosinus loco citato *q. 4. n. 23.* *quòd Episcopus etiam Confirmatus, litteras Confirmationis teneatur mittere Regi & ejus Regio Concilio; & quòd antequam ibidem expediantur, non capit possessio.* Quid enim notius, quàm hisce in Provinciis vigore litterarum Curie Romanæ non posse accipi possessionem cujuscumque Beneficii, nisi prius Litteræ Regi in suo Concilio exhiberent, & ibidem placitate fuerint?

XIII. Provisi de Ecclesiis Cathedralibus quæ juri Regaliæ subiectæ sunt, ut post obtentam provisionem Pontificiam, plenam temporalium sui Episcopatus administrationem, ac Beneficiorum collationem obtineant debent manus Regi levationem obtinuisse; sive ut loquuntur, *Regalia debet esse clausa.*

XIV. Ut verò clausura fiat, requiritur primò, ut Provisi juramentum fidelitatis Regi præstiterint, quòd nimirum *Regi erunt legales, & fideles* in suo Episcopali statu, & populum earum Civitatum & Episcopatum, in quantum poterunt, in obedientia & recognitione